

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5829

Auteur(s) : Philippe IV le Bel, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Mathieu IV, chambellan de France, Montmorency (seigneur)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1293, février

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [IV], roi de France, cède à Mathieu, seigneur de Montmorency et chambellan de France, pour 500 livres tournois, le domaine de Damville avec toutes ses appartenances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1869, t. 3, p. 279.

Dissertation critique

Villarie : Villez[-sur-Damville], commune réunie en 1846 à Champ-Dominel qui a été réunie en 1972 à Sylvains-les-Moulins. Autheneium : Authenay ; Roncenayum : Le Roncenay, aujourd'hui Le Roncenay-Authenay.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos, pro quingentis libratis turonensibus, in quibus dilecto et fideli nostro Matheo, domino Montis Morenciaci, Francie cambellano, ex concessione nostra, ratione sui facti servitii progenitori nostro ac nobis impensi, tenebamur, villam de Danvilla cum suis pertinentiis, precio ducentarum quadraginta et unius librarum quatuor solidorum et octo denariorum turonensium concessimus. Item, apud Tillerias, preposituram, vineam et molendinum fullatorium ejusdem ville et terras vocatas Caudas de Blanchard ; firmam Meterie ; terras de Charnellis et Perticam Suspensam : census de Burolio ; septem anseres super terras Luce de Bosco Renauldi sitas in clauso de Haiis Tilleriarum ; viginti solidos et sex denarios cum uno capone super terram herbergamenti dicti Muelle ibidem sitam ; sexaginta septem solidos et quatuor denarios cum tribus caponibus, decem et octo denarios super terras Martini de Bellande ibidem sitas ; sexaginta sex solidos et sex denarios cum uno capone super terras Garini de Courgeon ibidem sitas ; decem solidos et tres denarios cum dimidio capone ; homagium et custodiam feodi de Essartis cum feodo et manerio ; focagium parrochiarum et villarum de Tilleriis, de Essartis, de Roncenayo, de Campo Dominelli, de Villaribus, de Gouvilla, de Losmis, de Blandeio, de Autheneio, de Romano, de Charnellis, de Burolio, de Cantulupi, et omne jus et dominiumque habemus in omnibus boscis sive nemoribus, in parrochiis antedictis existentibus, videlicet donavimus licentiam vendendi dictos boscos et tercium et dangerium percipiendi quando accidet in eisdem pro precio ducentarum quinquaginta et octo librarum et quindecim solidorum et quatuor denariorum Turonensium, quos assidemus et assignamus prefato Matheo pro se suisque heredibus et successoribus et causam

habituris ab eo in hereditate perpetua possidendam ; hoc adjecto quod idem dominus de Monte Morenciaco sui que heredes et successores predicti, de Tilleriis tenentes, domino de Nutilet, senescallo de Tilleriis suis que heredibus et successoribus, domino de Curtelleriis, sexaginta duos solidos et sex denarios turonenses pro roba solvere tenebuntur, singulis annis in perpetuum terminis assuetis. Volentes et concedentes, in augmentatione, quod idem Matheus sui que heredes et successores et causam habituri ab eo domum seu manerium de Danvilla, altamque justiciam et bassam, placitumque teneant spate cum omnibus aliis casibus de consuetudine Normannie que per generalem donationem a jure regio nequeunt separari, nisi specialiter exprimatur ; quos casus, quo ad hec, haberi volumus pro expressos, cum omni etiam jure quod habemus in omnibus supradictis, absque ulla emendatione precii, cum predictis quingentis libris turonensibus superius notatis habeant, possideant, predictaque omnia per unum feodum lorice et pro uno homagio a nobis et successoribus nostris regibus Francie teneant in futurum, faciendo nobis, ad custodiam castri nostri de Britolio, tantummodo, dum opus fuerit, servitium unius militis per quadraginta dies cum suis propriis sumptibus et expensis ; retentis nobis homagio domini de Tilleriis cum suo castro ibidem sito et alta justicia omnium feodorum ejusdem domini de Tilleriis ubicumque existant, de quibus est in homagio nostro ; excepta alta justicia et placito spate ville et parrochie de Tilleriis ; quam quidem justiciam idem dominus de Monte Morenciaco sui que heredes et successores predicti habebunt et exercebunt, sicut superius est expressum, extra castrum de Tilleriis predictum, videlicet castrum in quo dominus de Tilleriis morari hactenus consuevit ; salvoque nobis in predictis omnibus homagio predicto, salvo etiam jure in omnibus alieno. Que ut firma et stabilia permaneant, presentes litteras sigillo nostro facimus communiri. Actum Parisiis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, mense februario.